



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

Puente, Luis de la

Coloniae, 1614

Avthor Pio Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

AVTHOR PIO LECTORI.



INFINITAS mihi linguas
optarem easque igneas,
quales Apostolis fuerunt
datae: quibus liceret or-
bi vniuerso manifestare
infinitas altissimi & su-
premi Dei nostri excellentias, & myste-
ria clarissima, quae de seipso & suis operi-
bus nobis reuelauit vt omnes infideles ma-
gna certitudine agnoscerent, & susciperent
veritatem & praestantiam Sanctae fidei no-
strae: omnes vero Christiani exultarent, ob
suam felicem sortem, eò quòd agnouerint
illam atque admiserint, & vtrique inflamma-
rentur amore infinitae bonitatis magni
huius Dei, & ad sanctissimam eius volun-
tatem perfectissimè amplectendam ani-
marentur. Sed quia hoc mihi concessum
non est, operam dedi, vt in reliquis tribus
partibus huius operis, tria eius exempla-
ria siue ideas, quam possem accuratissimae
& ad viuum exprimerem. Vnum erit ma-

gnitudinum diuinitatis eius, diuini scilicet eius. Esse, in vnitae essentiae & trinitate personarum: aeternitatis, bonitatis, charitatis, misericordiae liberalitatis, immensitatis, sapientiae, & omnipotentiae, & operum gloriosissimorum, quae ab eo promanarunt; qualis est creatio huius vniuersi, cum toto eius ornatu, conseruatio & gubernatio eiusdem, cum innumeris naturalibus & supernaturalibus beneficiis, quae à paterna eius prouidentia in commodum omnium hominum proueniunt, praecipue verò electorum, donec illos in altissimis gloriae suae thronis collocet. Quae omnia, in sexta parte pertractantur.

ALTERVM exemplar, quod contrarium refert extremum, erit abiectorum & vilitatum, quas Dei viui filius suscepit in sanctissima humanitate quam diuinæ suae personae coniunxit, dum seipsum vsq; ad mortem crucis humilians, innumeras ignominias, in Passione suae decursu sustinuit, de quibus in quarta parte agitur; in quibus adeò est DEVS admirabilis, & incomprehensibilis, propter infinitas bonitatis & charitatis excellentias, quae his vilitatibus sunt permixtae, vt ipsi a *Seraphini* duabus alis velent eius pedes, sicut aliis duabus velant faciem eius; ad significandum, se vi-

a Isai. 6. 2.
S. Bernard.
serm. in haec
verba.

ctos

AD LECTOREM.

ctos ac superatos, ab incomprehensibilitate horum duorum extremorum; sibi que satis esse, si magnis vocibus & affectibus, sanctitatem illam promulgent, quæ in illis resplendet.

TERTIVM exemplar (quod veluti medium est inter prædicta duo extrema) est magnitudinum Sacratissimæ IESV CHRISTI Domini nostri humanitatis, quæ, in præmium suæ humiliationis, fuit glorificata immensis donis, vsque ad sessionem ad dexteram DEI Patris, in præcipuis eius gloriæ bonis, quæ etsi ad propria ipsius diuinitatis bona comparata, exigua sint: in se ipsis tamen sunt maxima.

QUAE autem suis meritis obtinuit, ea distribuit hominibus, vt illos in hac vita sanctificet, cupiens eosdem ad regnum, quo ipse fruitur in altera, secum deducere: de quibus agit pars quinta; quæ magis adhuc explicantur iis, quæ in sexta dicentur, vt in eisdem apparebit. Id tantum à Christiano Lectore peto, vt tria prædicta exemplaria, in tribus his partibus delineata, ita intueatur, vt cum ea leget, meditabitur, aut contemplabitur, persuadeat sibi, quicquid dicitur & scribitur de Deo, & eius mysteriis, omninò parum & ferè nihil

*

5

esse,

Serm. 29. in
Cant.
b 2. Cor. 3. 18.

esse, respectu infinitorum, quæ dicenda & scribenda supersunt: ad perfectè verò intelligenda ipsa pauca, quæ dicuntur, necesse esse amare plurimum: nam vt non intelligit Græcè, qui nunquam didicit, ita (ait Sanctus Bernardus) non assequitur excelsos amoris sensus & affectus, qui non scit, quid sit amare: quando autem amabit, conetur *b* statim, *in eandem viuam* (vt ait Apostolus) perfectionis *imaginem*, quæ est meditaturus, *seipsum transformare*; vitam suam primum cum CHRISTI humilitate & crucifixi vita conformando; deinde cum eiusdem vita iam exaltati, & in throno collocati: ac demum cum eius diuinitatis imagine, & exemplaribus virtutibus, quæ in ea resplendent, conando simul iuuare, vt alij etiam homines, auxilio diuinæ gratiæ, imaginem propriæ naturæ, ad hanc diuinam reforment, ea ratione, quæ in subsequenti-
tionibus proponetur.

